Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 933
Quelle:
Copyright:



*Augustini* Opuscula non jam semel in Commentariis nostris retulimus.

VIII. *fol.* 193. *Albinus magister Heriberto coloniensi Archiepiscopo de aduentu antichristi.* Initium: *Ergo de antichristo scire uolentes primo notabitis nomen ejus* &c. Dixi de hoc non *Albini* vel *Albuini*, nec *Alcuini*, sed *Adsonis* Opusculo *Vol.* I. P. 2. *col.* 1347. Quantum varient Exemplaria, videre est in *Opp. Alcuini*, edit. *Ratisb.* 1777. T. II. *Vol.* 2. p. 526.

IX. *fol.* 194. p. 2. *Incipit exposicio sancti Augustini Episcopi super epistolam sancti Johannis ewangeliste.* Decem *Tractatibus* definita, qui leguntur edit. *suprac.* T. III. P. 2. *col.* 825. Prologus init: *Meminit Sanctitas Vestra ewangelium* &c. Ipsa Expositio vero: *Quod erat ab initio* &c. *Quis est qui manibus tractet uerbum* &c. Exemplar integrum quidem, sed minus castigatum.

X. *fol.* 236. p. 2. *Incipit Tractatus eiusdem de Regula Monachorum.* Ex abrupto: *Quod peius est, sunt quidam remoti a mundo et secum portant illum* &c. Non reperi ne quidem inter S. Patri subposita, nec inter similia Monastica *Hieronymo* perperam tributa. Sed Fragmentum esse, non minus extrema probant: *in uitam intrare eternam tenendo ueram humilitatem et pacientiam.* Verum unde carptum?

XI. *fol.* 237. p. 2. *Sermo Augustini episcopi de igne purgatorio.* Init: *In lectione apostolica que nobis paulo ante recitata est, fratres karissimi, audiuimus apostolum dicentem: Fundamentum enim aliud nemo potest ponere* &c. *Caesario* rite tribuunt *Mauriani*, apud quos T. V. *Append. col.* 185. est Sermo CIV.

XII. *fol.* 239. p. 2. *Omelia Cesarii Episcopi.* Hanc neque in *Bibliotheca PP. Lugd.* T. VIII. et XXVII. neque in *Appendice* T. V. *Operum S. Augustini* edit. *Maur.* reperi, nec ejus mentionem fieri video T. III. *Hist. liter. Franciae*, ubi a p. 197. omnia *Caesarii Arelat.* Scripta enumerantur, nec in Elencho T. I. *Commentar. de Scriptt. Eccl. col.* 1345. exhibito ab *Oudino*, qui ante ἀποσασιαν suam *Caesarii* novam Editionem meditabatur. Interim *Caesarianam* esse e toto ejus habitu vix dubium. Orditur hoc tenore: *Modo cum diuina lectio legeretur, fratres karissimi, audiuimus dominum dicentem: Si, inquit, in preceptis meis ambulaueritis et feceritis ea, que ego precipio uobis. dabo uobis pluuias temporibus suis.* Ad I. ergo *Sermonum* Classem *Oudini* pertinet; locum enim Vet. Testamenti tractat, nempe *Levitici* C. 26. v. 3. Sequitur: *Si fideliter et diligenter attendimus, fratres, omnia que iudeis corporaliter promittebantur. spiritualiter in nobis implentur.* Eadem prope phrasi utitur *Caesarius* in Serm. *de Dedicat. Templi*, qui in suprad. *Append.* T. V. *Opp. Augustini col.* 375. est numero CCXXIX. *Denique omnes benedictiones dei, quas illi accipiebant in terra, nos per gratiam baptismi consecuti sumus in anima* &c. Postquam igitur *Pluviam* et *Panem* de *Ver-*